



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

CXXIV. Gratia Spirituales Congregationis Casin. pro Benedictinis
Monasterii Mellicensis in Austria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

rat Diffinitorii Generalis, vel Provincialis dictæ Congregationis approbatio, seu declaratio super laudabili exercitio, ac Tertium Decreta hujusmodi super Lectoribus prædictorum quatuor Monasteriorum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentis Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis Monachorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel offensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXV. Julii MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Nonno.

CXXIV.

Communicantur gratiæ spirituales Congregationis Casinensis Benedictinis Monasterii Mellicensis in Austria.

Similis communicatio facta Congregationi Bavarica extat Const. ed. 1691. Aug. 11. P. 1. Et Clem. XI. Const. ed. 1714. Off. 3. P. 14. pro Congregatione Monachorum in Bohemia.

Dat. 24. Sept. 1699. An. 9.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii, quo Catholica Ecclesiæ per universum Terrarum Orbem diffusa regimini divina dispositione præsidemus, sollicitudo Nos admonet, ut paternam Virorum Religiosorum Altissimi obsequiis sub suavi Monastica vitæ jugo mancipatorum curam gerentes, prosperis eorum in via Domini progressibus, quantum Nobis ex alto conceditur consulere jugiter studeamus.

Preces Monachorum, & cause communicatio.

§. 1. Cum itaque sicut dilecti filii Abbas, & Monachi Monasterii Mellicensis in Austria inferiori Sedi Apostolicæ (ut asseritur) immediate subiecti Ordinis Sancti Benedicti Nobis nuper exponi fecerunt, Monasterium prædictum magno

Religiosorum uberes in illis partibus bonorum operum fructus, adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium numero introductum sit, ipsi vero exponentes pro majori ejusdem Monasterii augmento, feliciorique illius directione omnia, & singula privilegia, gratias, Indulgentias, favores, & Indulta tam hæcenus concessa, quam in posterum concedenda, quibus Congregatio Casinensis Monachorum Ordinis prædicti, ejusque Abbates, & Monachi, aliæque personæ quæcumque etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut alias quomodolibet fruuntur, & gaudere, ac frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, sibi, dictoque eorum Monasterio a Nobis communicari plurimum desiderant. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio prædictam communicationem quoad gratias spirituales tantum auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Communicatio præd.

Clausulæ.

§. 2. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscar. die XXIV. Sept. MDCXCIX. Pontificatus nostri Anno Nonno.

Mandatur, ut in Provincia S. Joannis Baptistæ in Regno Peruano Ordinis Prædicatorum servantur Constitutiones Capitulum Gen. circa successionem FF. conjunctorum in Prioratibus.

CXXV.

De reductione Magistrorum vid. Constitut. ed. 1695. Sep. 21. P. 5. Et de translatione Cadaverum pro hac Provincia Clem. XI. Constit. ed. 1716, Jun. 3. P. 16.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 9. Oct. 1699. An. 9.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Hieronymus Salzedo Frater expresse professus Provinciae Sancti Joannis Baptistæ in Regno Peruano Ordinis Prædicatorum, quod cum dilectus etiam filius Didacus Moratto Prior Provincialis dictæ Provinciae in novissimo illius Capitulo Provinciali die 24. Julii 1697. celebrato ad Officium Prioris Provincialis hujusmodi electus, ejusque Procurator ad hanc Almam Urbem missus varia consilia, & conatus meditarentur, ut ipsius Didaci Fratres secundum carnem dicti Ordinis

Referuntur Constitutiones, & Cause Mandati.

professores